



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Indes & Domna MM. 26. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

ramis distrahit evadit Milone fortior puer. Jam ad feras damnatus, ecce colludit his, & pardus pedes veneratur linguâ blandâ; manus tigris exosculatur; collum leo blandus amplectitur. Sed à feris in succensam fornacem ducitur inter Angelorum comitatum. Scilicet post binos dies aurum exit. Denique ad gladium vocatur. Sed tu crederes ad præmia invitari. Quid: quod mortuus perrexit tyrannum fatigare. Custodes enim corpori additos fulmine fugavit, dum terræ hoc Theophilus quidem mandaret; & Martianus judex à partu suo (vermibus) periit corrosus, in-honestum, sed vivum tamen nactus sepulchrum.
Ex Mart. Rom. Pet. de Natal. & Ferrar.

Gravis est nobis inimici tentatio, sed longè gravior illi nostra oratio: ledit nos iniquitas ejus & versutia, sed multò magis nostra eum simplicitas & misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, uritur charitate nostrâ, obedientiâ cruciatur. S. Bern. serm. 3. de Dedic.

SS. INDES & DOMNA MM.

26. Decembris.

DOMNA superstitionis in aulâ Maximiani Imp. summa Antistita, dum quæ fortiter egerunt Apostoli, legit, & aures Christianæ dat Virgini, sacrificare rectius Christo discit, & jam semet parat immolare. Tam sancti propositi socius, qui illi à cubiculis erat, INDES est factus. Cum hoc primò omnium aurum & argentum in manibus miserorum occultat. Tum cibos, quos quotidie Imperator lautissimos submittebat, ad eosdem transmittit, ipsa cibario pane & aquâ famem sitimque martyrii accendit. Ea res cum aulam omnem

26. Dec. VITÆ S A N C T O R V M . 625
omnem in admirationem raperet , curiosus Eu-
nuchus in cubiculum se penetrat DOMNAE , &
cum libro , de quo diximus , & cruce , itemque
thuribulo & cistellâ , quâ delicias suas panem
Angelorum asservabant , rem omnem in lucem
protrahit . Cæsi igitur fame ultimâ excrucianti
in carcerem concluduntur . Sed numquam alias
tam opiparè vixerunt , quando mensam Angeli
posuerunt omnibus lautitiis instructam . Inter
hæc DOMNA unicâ zonâ , quam gestabat , auro &
gemmais gravem , per fenestram demissâ , totam
pauperum cohortem vestivit . Mox , ut cum cœ-
nobio aulam liceret mutare , prudenter desipere
se ad simulavit . Iterum deinde insidiantem Maxi-
mianum virili veste elusit , cumque jam non hanc
modò , sed animum etiam virilem induisset , &
INDEN mari mersum extractumque tumulasset ,
cæsa pro Christo , & in ignes conjecta , ex Sacer-
dote recte victima est facta . Ex Metaphr.

*Audiant Christiani qui quotidie corpus Christi at-
tingunt , quantam de ipso corpore sumere possint medi-
cinam ; quando mulier totam rapuit de solâ Christi
fimbriâ sanitatem . Sed quod nobis flendum est , nobis
medicina ipsa retorquetur ad vulnus . S.Petr.Chrys.
serm.34.*

S. CONSTANTINUS CONF.

26. Decembris.

Natus est hic CONSTANTINVS Hebreus ,
vixit verò Christianus , cùm Christianum
alium , qui in fossam lapsus signo crucis se munie-
rat , surgere in columem vidisset . Ab eo tempore
ita CHRISTI crucisque amore arsit , ut flammas
pectoris prodigiosus in vultu splendor proderet .

D d Impuram